

1607

Interim Fuentanus nihil de militaribus curis remittere, milites augere, tormenta disponere, cuncta fere ad certum bellum destinare. Jam enim triginta millium copias partim externo, partim proprio milite confecerat: in iisque Helvetiorum tria milia, Germanorum sex, Neapolitanorum totidem, quatuor Hispanorum, reliquum ex Gallia Cisalpina adnumerari ferebatur. Ipse ingenio fervidus, rerum novarum cupidus, conciliatam cum Pontifice Rempubicam ægre ferens, præreptam sibi e manibus fortunas suas opesque augendi occasionem fremebat. Ac plerique arbitrabantur, seditionibus distractis Rhætis, Vulturenæ vallis invadendæ opportunitatem non prætermisurum. Eo enim jam apud inconditam Rhætorum multitudinem res deductæ erant, ut plebs in nobilitatem commota fueret, atque judicium quadraginta virum in nobiles institueret; quindecim virum consilium, in quo graviora tractarentur negotia, Gallorum suasu stabilitum, abrogaret; præsidium Vulturenæ valli impositum, licet militibus Veneti stipendia menstrua persolverent, penitus negligeret; palam Gallorum Venetorumque foederibus renuntiaret; eos non modo qui Venetis faverent, verum qui nuper Mediolani fuerant, vel in jus vocaret, vel in vincula conjiceret. Quæ sane omnia Fuentanum, ut tempore uteretur, & in Rhætorum ruinis novandarum rerum fundamenta poneret, hortari videbantur. At alia ex parte, cum Hispani in octo menses indicias cum Batavis pepigissent, in Belgium copias amandaturum, ut, iis elapsis, in omnem eventum in promptu essent, multi opinabantur. Iis namque induciis Angli ac Galli vehementer solliciti, ne gravissimis diuturni ac difficillimi belli curis soluti Hispani, immensa auri vi, quam quotannis ex occidentalibus Indiæ oris accipiunt, aucti, in reliquorum Principum perniciem excrescerent, verebantur. Quare, ultro citroque missis nunciis, quæ in rem communem essent, agitabant. Ac nuper Henricus Jannium præsidem ad Batavos miserat, qui eorum animum exploraret, auxiliaque polliceretur. Omniaque facturi Galli, ne ea gens præda Hispanorum fieret, videbantur. Nec deerant, qui, ne tantum copiarum immensis impensis coactum inaniter dissiparetur, Genevam Caroli Emanuelis impulsu aggressurum Fuen-

*Rhætorum
seditiones.*